

*Sive prophetie evacuabuntur, sive lingua cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Non omnia scimus, nec omnia prophetamus. Et ita ut in majus proficiamus, destruentur, per ista enim ad perfecta venimus.*

*Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Quod sanctis promissum est in futuro.*

*Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus: cogitabam ut parvulus. Exemplo carnalis incrementi, vult spiritualemente demonstrare profectum.*

*Quando autem factus sum vir: evacuavi quae erant parvuli. Expofuit qualiter evacuentur, quae superius memoravit.*

*Videmus nunc. Quasi parvuli, qui non possunt serena cordis luce, perfectè lumen perspiciere veritatis.*

*Per speculum in enigmate. Per speculum legis, quasi reum imaginem contemplamur.*

*Tunc autem facie ad faciem. Id est, in praesentia.*

*Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Sicut me perfectè Deus novit, ita & ego quae sunt divina cognoscam.*

*Nunc autem manent fides. In praesentia tria haec: in futuro sola Dei charitas, & angelorum & sanctorum omnium permanebit. Majus ergo est quod semper erit, quam quod aliquando cessabit. Item in Patre & Filio, & Spiritu sancto, fides stabilis est: additamento enim opus non habet. Spem autem eam manere dicit, quae est non eorum quae videmus. Charitas verò ideo major est omnibus: quia qui diligit, & credit & sperat.*

*Spes, charitas, tria haec: major autem horum est charitas. Omne quod speramus, credimus: non omne quod credimus, speramus.*

## Caput XIV.

**SECTAMINI** charitatem. Omni conatu ipsam sequamini: quia in vestra est potestate.

*Amulamini spiritualia, magis autem prophetetis. Et spiritualia dona amulari vos ac quaerere non prohibeo, sed ut magis proficiatis exhortor.*

*Qui enim loquitur lingua: non hominibus loquitur, sed Deo. Nemo enim audit. Nemo per auditum aurium de his quae dicuntur accipit intellectum, nisi Deus, & qui interpretandi donum accipit, vel qui ejusdem est lingua.*

*Spiritus autem loquitur mysteria. Iterum linguam significat.*

*Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad edificationem, & exhortationem, & consolationem. Qui loquitur lingua, semetipsum edificat: qui autem prophetat, Ecclesiam Dei edificat. Notandum quoniam prophetiam doctrinam dicit: expofuit quot modis intelligenda sit prophetia. Quicumque hanc habet, propheta esse censendus est.*

*Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Hoc quidem volo, sed illud malo: hoc non prohibeo, illud exhortor.*

*Nam major est qui prophetat. Quia & hoc magnum opus est charitatis, per quod multi proficiunt.*

*Quam qui loquitur linguis. Quod vos praecipuum existimatis.*

*Nisi foris interpretetur, ut Ecclesia ad edificationem accipiat. Si interpretetur, aequalis esse poterit prophetanti.*

*Nunc autem fratres si venero ad vos, linguis loquens: quid vobis prodego, nisi vobis loquar, aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Suum illis proponit exemplum: erit vobis sola admittatio, non profectus: nisi vobis aut interpreter, aut plana faciam legis occulta quae novi, aut prophetias exponam, aut vos moralibus doceam institutus.*

*Tamen quae sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara: nisi distinctionem sonituum dederint: quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Cum haec inaniamantia, nisi distinctionem habeant, non possunt reddere cantilenam, & ut superflua respuuntur: quanto magis vobis qui spirituales estis, suavitas non aures debet mulcere, sed mentes.*

*Et enim si incertam vocem det tuba: quis parabis se ad bellum? Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem*

*dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Si vox tubae incerta fuerit, utrum solemnitatis an belli sit, nemo pugnabit: ita ergo & vester intelligendus est sermo, ut possit ad spirituale praedium Christi milites praeparare.*

*Eritis enim in aera loquentes. Tam multa ut puta genera linguarum sunt in hoc mundo. Etiam si tam multa loquamini, ut genera sunt linguarum: quid proderit cum omnia in aera solvantur, & nulli proficiant.*

*Et nihil sine voce est. Nihil sine voce linguam habens.*

*Si ergo nesciero virtutem vocis: ero ei cui loquar barbarus. Omnis sermo qui non intelligitur, barbarus judicatur.*

*Et qui loquitur mihi barbarus. Sic & vos, quoniam emulatores estis spirituum ad edificationem Ecclesiae, quare ut abundetis. Quoniam spiritualia dona sectamini, illa magis quaerite quae edificent auditores.*

*Et ideo qui loquitur lingua: oret ut interpretetur. Oratio hoc loco oris elocutio intelligitur. Sic ergo loquatur, ut gratiae verba quae dicit, possint intelligi: sive oret, ut illi interpretandi gratia donetur.*

*Nam si orem lingua, spiritus meus orat. Hoc dicit: quoniam si quis incognitis aliis linguis loquatur, mens ejus, non ipsi efficitur sine fructu, sed audienti: quicquid enim dicitur ignorat. Item si lingua dicam: non ego loquor, sed spiritus, qui in me est. Si autem ad orationem requiratur spiritus, sermo non intelligendus est, qui nonnunquam mente alia cogitante precatur.*

*Mens autem mea sine fructu est. Qui non intelligo quod loquor.*

*Quid ergo? Orabo spiritu, orabo & mente. Psallam spiritu: psallam & mente. Qui enim interpretatur, necesse est ut ante intelligat quod aliis est dicturus. Item sic est loquendum, ut intelligant alii.*

*Ceterum si benedixeris spiritu. Benedicatur omne quod verè, & secundum Deum dicitur.*

*Quis supplet locum idiotae? Laicum significat qui nullo gradu Ecclesiastico fungitur. Aliter: Inanitatem scientiae in corde ignati quis implet?*

*Quomodo dicit amen super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, nescit. Quomodo tuae perhibet benedictioni testimonium, vel consensum.*

*Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non edificatur. Quod superius dixerat, omni benedicas, hic ipsum exponit.*

*Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor. Ne putetis me hanc quoque gratiam non habere, & vos ideo prohibere, & idcirco non loqui.*

*Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui. Sed malo perpaucam ad profectum loqui, quam multa quae nulli proficiant. Quidam sane quaerunt quae sunt quinque verba: à quibus è contrario, quae sint decem millia est quaerendum.*

*Ut & alios instruam: quam decem millia verborum, in lingua. Id est, proprio intellectu & simplici ratione.*

*Fratres nolite pueri effici sensibus. Scire debetis quamdiu futurae sunt linguae, vel quare sint data.*

*Sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. Malitia debetis parvuli esse, non sensu: simul ostendit neminem nisi parvulum malitia, sensu esse perfectum. Quia in malivolam animam non introibit spiritus sapientiae.*

*In lege enim scriptum est: Quoniam in aliis linguis, & in aliis labiis loquar populo huic, & nec sic exaudient me, dicit Dominus. Etiam hoc signum dabo, ut per sanctos meos inusitato sermone loquar, & nec sic eloquentem intelligant.*

*Itaque linguae in signum sunt, non fidelibus. Hic ostenditur crescente fide, signa cessasse, quando infidelium causa danda esse praedicebatur.*

*Sed infidelibus. Ut ejus saltem admiratione moverentur. Prophetiae autem non infidelibus, sed fidelibus. Major est ergo & utilior quae fidelibus prodest, & semper est opus.*

*Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum: & omnes linguis loquantur. Hoc est si fieri potest, ut concederetur vobis qui omnes hoc vultis.*

*Intrent autem idiotae, aut infideles. Idiotae nuper credentes dicuntur hoc loco.*

*Nonne dicent, quid insanitis? Sicut Judaei de Apostolis dixerunt: Hi pleni sunt musto. Aliter, sicut initio Apostoli, quando acceperunt Spiritum sanctum visi sunt quasi ebrii.*

*Si autem omnes prophetent: intret autem quis infidelis vel idiota: convincitur ab omnibus, judicatur ab omnibus. Occulta enim cordis ejus manifesta sunt. Quando ejus pulsatur conscientia per doctrinam.*

*Et ita cadens in faciem, adorabit Deum, pronuncians quod verè Deus in vobis sit. Sicut Nabuchodonosor adoravit Daniele: Verè Deus vester ipse est Deus, postquam somnium quod oblitus fuerat, & interpretationem ejus audisset.*

*Quid ergo est fratres? Quid ergo est faciendum, vel quid definiemus esse tenendum.*

*Cum convenitis unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet. Hoc est, intelligit psalmum.*

*Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet. Revelationem aliquam mysteriorum, quod intelligitur revelatio.*

*Omnia ad edificationem fiant. Nihil sit in vobis quod non vos alterutrum adificet.*

*Sive lingua quis loquitur secundum duos: aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur. Hoc est vicissim prophetantes dicant, & unus paulatim interpretetur.*

*Si autem non fuerit interpretes. taceat in Ecclesia: sibi autem loquatur & Deo. Sua conscientia, & Dei teneat eum gratiam hanc habere.*

*Propheta autem duo aut tres dicant, & ceteri didicent. Quod si aliis revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare: ut omnes discant, & omnes exhortentur. Non stantibus, sed Prophetis sedentibus.*

*Et spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis. Sive gratia spiritus alteri prophetae consentit, ut alterutrum sibi cedant: sive spiritum humilitatis, & charitatis debent habere Prophetae. Quia Deus qui in ipsis est, non est Deus dissensionis, neque superbiae. Item hoc ait: quia in quo est spiritus prophetiae, ipse aliis Prophetis per societatem gratiae subiectus est: in qua non amulatur alterum prophetare, cum ei fuerit revelatum.*

*Sicut & in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo. Sic est ubique, ne novi aliquid me vobis imperare putetis.*

*Mulieres in Ecclesia taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse: sicut & lex dicit. Quia contra ordinem est naturae vel legis, ut in conventu virorum feminae loquantur. Quaeritur ergo quomodo alibi dicat, mulieres docere prudentiam, & castitatem debere. Sed hoc in sexu suo: sed & hic designat locum, ubi taceant: alibi eis loqui permittit, sicut & lex dicit.*

*Si quid autem volunt discere. Quia & vir prius factus est, & Sara Dominum vocabat Abraham.*

*Domini viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Ne videretur eas etiam discere vetuisse, domi illas hoc quid publice non decebat, facere debere praecipit.*

*An à vobis verbum Dei processit: aut in vos solos pervenit? Nunquid doctrina Christi, aut ex vobis est, aut apud vos remansit. De scientia similiter est dicendum.*

*Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis: cognoscat quae scribo vobis: quia Domini sunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Hoc probatis verum Prophetam, si ista cognoverit Domini mandata esse quae dico: si quis autem ignorat haec, ignorabitur & à nobis, & à Domino dicente eis, qui se in ejus nomine prophetasse dicebant, nescio vos.*

*Itaque fratres emulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere. Illud sectamini, hoc prohibere nolite.*

*Omnia autem honestè & secundum ordinem fiant in vobis. Nihil perverso ordine, aut per contentionem vel inanem gloriam faciatis.*

## Caput XV.

**NOTUM** autem vobis facio, fratres, Evangelium quod praedicavi vobis. Incipit causa resurrectionis. Inter cetera, quidam Corinthiorum etiam resurrectionem carnis ausi fuerant ex veteris scientiae praesumptione negare: qui hic ab Apostolo arguuntur.

*Quod & accepistis. Ne illi hoc non credidisse viderentur: vel omnes creditum respuisse.*

*In quo statis: per quod & salvamini. In cuius doctrina*

*statis, & per quod salutem speratis: & in praesenti de divinis infirmitatibus saepe salvamini.*

*Qua ratione praedicaverim vobis. Tota ratio praedicationis nostrae haec est, ut resurrectionem credatis: hoc est enim primum omnium qui Christo deserviunt: alioquin superfluum omnis labor est orationum juniorumque, quem in hac vita patimini, cum vobis hic prospera vel adversa cum infidelibus esse communia videantur: sicut & ipsi solent pagani proponere: quid ab illis amplius habemus: & verum est: si horum laborum praemium in vita alia non habemus, peiores illis sumus: quia illi vel in praesenti voluptatum & luxuriae consolationem habere videntur.*

*Si tenetis: nisi frustra credidistis. Si fidei vestrae & laboris praemium non speratis, superflua haec credidistis.*

*Tradidi enim vobis in primis. In primordio, sive maxime.*

*Quod & accepi. Vel à lege, vel à prioribus, sive per revelationem Christi.*

*Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas: & quia sepultus est. Posset quidem Apostolis praedicationibus, & multa virtutum signa facientibus haberi fides, esse ipsum Christum quem evangelizant: sed ut majore beatus Apostolus autoritate firmaret hunc esse Christum Salvatorem mundi, quem Moyses & Prophetae annuntiaverunt: ideo secundum scripturas praedictum esse commemorat: sicut inter cetera Isaias Propheta dicit: Sicut ovis ad occisionem ducitur, & quasi agnus coram tondente se obmutescit. Item infra idem Propheta: Et dabit impius pro sepultura, & divitem pro morte sua. Similiter Osee Propheta, tertia die resurrectionem Christi futuram annunciat, dicens: Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus.*

*Et quia resurrexit tertia die, secundum scripturas. Sicut Osee dicit: Vivificabit nos in biduo, & die tertia resurgemus.*

*Et quia visus est Cephe. Quod in Evangelio dicitur: Apparuit Simoni.*

*Et post hoc undecim. Iterum Petro, & reliquis decem.*

*Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc: quidam autem dormierunt. Vides quia in Evangelio non omnes scriptae sunt visiones, nisi quae sufficerent ad fidem. Hic autem, quoniam de Apostolis dixerat, etiam hoc addidit: ne Apostoli tanquam intimi ejus, putarentur esse mentiti. Et ut major fides multitudini testimonii haberetur: etiam multi vivere dicuntur qui possint interrogati dicere quae viderunt.*

*Deinde visus est Jacobo. Jacobo scorsum apparuit.*

*Deinde Apostolis omnibus. Sive iterum, sive Apostolis quos extra duodecim ad praedicandum misit.*

*Novissime autem omnium. Ne putarent eum audita potius quam visa narrare.*

*Tanquam abortivo. De cuius vita desperatum est.*

*Visus est & mihi. In via scilicet, vel in templo.*

*Ego enim sum minimus Apostolorum. Minimus tempore, non labore.*

*Qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Fili peccasti: ne adicias iterum, sed & de pristinis deprecare. Unde & per Isaiam Dominus dicit: Ego sum qui deleo iniquitates tuas: & non memorabor, tu autem memorare. Melius est enim dimissa recordari peccata, quam detenta oblivisci.*

*Gratia autem Dei sum, id quod sum: & gratia ejus in me vacua non fuit. Non fuit sine fructu, sicut ille qui talentum Domini defodit in terram.*

*Sed abundantius illis omnibus laboravi. Quia illis diutius.*

*Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Non ex me, sed gratia Dei: nec se sine gratia dicit in Evangelio laborasse, ne contra illud quod superius dixerat sibi aliquid dari videretur: nec gratiam sine se, ut liberum servaret arbitrium.*

*Sive enim ego, sive illi: sic praedicavimus, & sic credidistis. Unde igitur & nos sic praedicavimus, & vos similiter credidistis: quia Christus idcirco surrexit primus, ut viam resurrectionis aperiret: hoc illis commemorat, ut illi quod consequens est negare non possint.*

*Si autem Christus praedicatur quod resurrexit à mortuis.*